



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Metropolis Salisvrgensis**

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Fundatio S. Ottonis Babenbergensis Episcopi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

nibus euicit à quodam *Aramo de Chambe* qui eam sibi illicite & nullo fretus jure usurpauerat, diuinæ remunerationis intuitu ratum haberi volentes & inconuulsum, quod prædictus Imperator feliciter sanciuit, & à posteris suis statuit obseruandum, *Aramum de Chambe*, *Alberti filium*, & omnes hæredes suos ab eadem Aduocatia, sicut prius factum est prorsus remouemus, & nudam sibi vel alicui in ea præstamus Warandiam. Cum enim juris sit eorundem fratum in bonis suis assumere sibi quem voluerint aduocatum & defensorem, & ipsi ad hoc Excellentiam nostram idoneam elegerint, perpetuo defensionis vinculo eam nobis aduocatiā adnectimus, à nostra & Imperij potestate nunquam alienandam. Ad huius autem facti robur hanc paginam conscriptam imprefſione ſigilli nostri communiuimus. Testes autem huius rei sunt, Hugo Hostienſis & Veltrensis Episcopus Cardinalis, ſedis apostolicæ legatus. Conradus Spirensis Episcopus & aulæ regiæ Cancellarius. Otto Herbipolensis Episcopus, Manegoldus Patauiensis Episcopus. Siboto Hauelburgensis Episcopus. Henricus Comes Palatinus. Ludovicus Dux Bauariæ, Leopoldus Dux Austriae, Cunradus Marchio de Landsberch, Emicho Comes de Lirningen, Berchtoldus Comes de Hennenberg, Hartmannus Comes de Wirtenberg, Ludovicus Comes de Oetingen, Heinricus Marscalcus de Challindin, & alij quam plures. Acta ſunt hæc anno incarnationis Dominicæ M. C. C. IX. Indictione XII. Datum apud *Herbipolum* pridie Kalend. Iunij.

### Fundatio S. Ottonis Babenbergensis Episcopi.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Otto Dei gratia XI. *Babenbergenſis* Episcopus. Suo ordine Ministerium dispensationis nostræ exequimur, si late-  
ra Ecclesiæ noſtræ ſuper id quod poſſunt temptari non patimur. Nos itaque ſcientes *Aramum de Chambe* occaſione aduocatiæ, quam ſibi vendicabat, gra-  
uem eſſe cœnobio de *Aldersbach*, legitimiſ citatum induciſ ſuper iniuria eiusdem Ecclesiæ conuenimus. Tandem poſt multa hinc inde habitas contro-  
uersias, eum ab aduocatia, quam perperam feodali jure exclusimus. Quod fa-  
ctum in audiētia Domini Imperatoris ſub frequentia Principum *Nirnberg* le- \* gitimo testimonio renouando firmauimus. Cum itaque præfatum monaſte-  
rium jam diſti *Arami* jurisdictioni ſit exemptum, licet ei deinceps eligere quem voluerit defensorem ſuum, & rerum ei pertinentium, habitu tamen consilio Epifcopi *Babenbergenſis* eiusdemque ſuccelforum. Totiens autem liceat ei pro consilio Epifcopi commutare defensoris personam, quotiens eum perſpexerit ſibi minus idoneam. Ut autem hæc crata & inconuulſa permaneant, & perpe-  
tuæ firmitatis vigorem obtineant, præſentem paginam ſigilli nostri impressio-  
ne, & idoneorum testium ſubſcriptione roboramus. Testes ſunt horum: Theobaldus Patauiensis Episcopus. Leopoldus Dux Austriae, Berchtoldus Marchio Yſtriæ, Filius ſuus Berchtoldus Dux Meraniæ, Comes Berchtoldus & fratres eius, Vdalricus de Bergen, Comes Albertus de Eberſtein, Comes Theodericus de Waſſerburg. Conradus præfectus Nirbergensis, Comes Henricus de Altendorf, Fridericus de Truhedingen, Regenoldus & Eberhardus de Ri-  
phenberch, & alij quam plures. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ incarna-  
tions M. C. LXXXIII. Indictione I. Regnante inuictissimo Imperatore Fri-  
derico, præſidente XI. Babenbergensi Epifcopo Ottone ſecundo.

